Bibliothèque numérique

medic@

Akakia, Martin - candidat / Carpentier, Jacques - président. - An omni dyspnoeae eadem remedia ?

1570.
[Paris]
Cote : ms 72 n°66

(c) Bibliothèque interuniversitaire de santé (Paris)
Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms00072_ms00080x01x0066

AD QVODLIBETARIAM

QVÆSTIO MEDICA, AGITANDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XIX. IANVARII, D. IACOBO CARPENTARIO, DOCTORE MEDICO, PROFESSORE REGIO, MODERATORE PRVDENTISSIMO.

An omni dyſpnϾ eadem remedia?

ANIMANTIVM vita, actionúmque integritas, cum ſalutaris caloris præſentia contineatur, vt interitus earúmque labes abſentia, extemplo dilapſus vaneſceret, niſi aëris qualitate (non enim ſubſtantiæ indigus) quaſi focillatus, retineretur. Hanc primùm molitur reſpiratio, pulſui analogos, animalis ſpiritus fomes vnicus, ne piſcibus quidem, aut fœtibus vtero coërcitis denegata, conſtanti ratáque auræ vitalis acceptione redditionéque, in numerum vices alternante. Quarum altera, thoracem pulmonémque, vt dolore, ita ex ſeſe omni mobilitate caſſum, tanquam flabellum, vento faciendo additum cordi, abſceſſibus plerumque extuberãti, animabili ſpirabilíque natura complet. Altera, motu κατα ςάσιν vſa, eoſdem deplens, fumum fuliginémque aſpera arteria, velut ſpiramento quodam, exhalat. Deinde perſpiratio, præſtantioribus animalibus, nedum inſectis ad vitæ fructum ſufficiens, rapto per hiantium vaſorum ad cutem pertinentium oſcilla, aëre, cordis calorem ebullientem ventilat atque conſeruat.

RESPIRATIO, non magis vnius partis actio, quàm deiectio, Alia ad naturam acommodata, quæ vt facultatis animalis firmitudinem atque conſtantiam, inſtrumẽtorum ſequacem promptitudinem, vſus & vtilitatis moderationem teſtificatur: ſic in omnibus morbis fauſtam fœlicémque dat ſignificationem: Alia naturæ contraria, quæ etſi partem affectam ſola non deſignat, tamen aliquot, aliquódve horum læſum oſtendit: eáque partim febriles & acutos morbos comitatur: cuiuſmodi eſt frequens, dolorem, aut partium infra, ſupráue diaphragma ſitarum incendium arguens: magna rara, oſcitationis & ſingultus præſentiſſimum remedium, delirij ſymptoma perpetuum, frigida ex ore & naribus prodiens, funeris procurationem indicens, luctuoſa & illidens ingruentem conuulſionem: partim verò febre eſt libera.

HVIVS generis eſt dyſpnœa, id eſt mediocris ſpiritus denſitas, qui ſi increbreſcat, cum ſuſpirioſa ſtertoroſáque argutatione, pernicioſa quidem illa in morbis, aphonia tamen & apnœa ſecurior, in aſthma, alteram difficilis reſpirationis ſpeciem degenerat: ſin autem ingraueſcat ita, vt, non niſi ardua ceruice, ex imo cieri poſſit, orthopnϾ naturam induit. Hæ autem maioris minoríſque tantùm ratione differunt: cauſarum verò ſimilitudine conſentiunt. Namque vel à crudo phymate, congeſtionis ſobole (quod repentè non ſtrangulat, vt nec empyema, in perpetua doloris vacuitate poſitum, nec catarrhus) reſpirationis loca vacua occupante, vel à pertinacibus lentíſque humoribus, ſpiritus aditus abitúſque intercludentibus, oriuntur. Quamquã & tumores partium, quæ cum thorace ſocietatem inierunt, & vertebrarum coſtarúmque laxatio, pectoríſque conformatio pterygodes, neceſſariò denſam paruámque ſpirationem ſi cum indolentia: ſin minus, eandem quoque, ſed ſponte noſtra, inducant.

CRVDI tuberculi, quod læuibus pulmonis arteriis adnaſcitur, etſi gliſcente tempore, aſperas premat mole ſua, certa habetur ſignificatio, ex repentina ſine ſtertore ſputationéque ſpirandi difficultate. Viſcoſorum autem craſſorúmq; humorum, quibus pulmo præter cætera ſtipi ſolet, adeſt ſuſpitio, ſi inter animæ ductionem, ſtrepitus cum ſtertore ſit coniunctus. Catarrhi verò, ſiue is à cerebro, ſiue à vicinia deſtillet, ſumitur argumentum à ſubita ſpiritus difficultate, anguſtiæ ſenſum inferente. Puris etiam indicium eſt grauitas, in thorace ex pleuritide ſuperſtes, aut fluctuatio, aut anteacta leuis ſputio. Vt autem dyſpnœa diutius protrahi poteſt: ſic aſthma orthopnœáque repentè iugulum petunt, ſenibus & pueris, quàm iuuenibus, magis familiares affectus: vnde aut nunquam curantur, aut vix ſalutarem manum admittunt: ſic etiam qui gibbi ſiunt ex aſthmate, in quo non neceſſariò vires labant & reſidendi, vt in peripneumonia, cupido peſſima, antequam ex ephebis exceſſerint, moriuntur.

HARVM affectionum curatio nonnihil commune, nonnihilque proprium habet. Ac commune quidem eſt vt humores vitium facientes purgentur: proprium verò craſſis, vt admixtis mollientibus medicamentis attenuentur & detergeantur. His verò qui tuberculum faciunt, aut abſceſſum, vt attenuentur & deſiccẽtur, vſurpatis etiã aromatis, quibus imprimis iuuatur: victus vbiq; nec tenuis, nec luxurians, calidior tamen & ſiccior: vinum tenue, dulciuſculum, paucum in abſceſſu, copioſum in viſcoſis humoribus, niſi ſi irruat catarrhus: Tum enim venæ ſectione, clyſteribus & aliis reuellentibus imminens ſtrangulatio declinanda. Quod ſi à catarrho nullus adſit metus, vtraque euacuatio prodeſt, quarum alteram præcedere debet præparatio, per Squillam, Dracontium, Tuſſilaginem, deinde adhibenda bechica, ſuffitus ex ſulphure, arrhenico. Thorax admotis calfacientibus & laxandus. Quæ ſi inefficacia ſint, Pyroticis, Dropace calor excitandus, humor foras euocandus, nouæ fluxionis præſcindenda occaſio.

Ergo non omni dyſpnϾ eadem remedia.

PONEBAT MARTINVS AKAKIA LVTETIANVS. ANNO DOMINI, 1570.

F.I.P.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Nicolaus Picart.
M. Ioannes Le Comte.
M. Claudius Rouſſelet.
M. Claudius Baillyſ.
M. Stephanus Gourmelen.
M. Ioannes Liebault.
M. Ioannes Le Gay.
M. Chriſtophorus Bauduyn.
M. Ioannes Le Vaſſeur.